

vè dico, quòd pater non potest aliquid ei dare titulo lucrativo. Et hoc apertè fundatur è superioribus: nam cum per viam ultimæ voluntatis, quæ censetur causa lucrativa, nihil ei possit relinquere; ergo nec per viam contractus lucrativi: ne quod una via prohibetur, alia concedatur. Et istam conclusionem probat text. in leg. 1. Cod. de Natur. liber. ubi disponitur, quòd si viri in dignitate positi habuerint filios naturales, vel spurios, & aliquid titulo donationis eis tradiderint per se, vel per interpositam personam; revocetur per descendentes legitimos, aut ascendentes patrem, vel matrem, vel collaterales próximos fratrem, vel sororem; quibus non extantibus; vel extantibus, sed agere expressè recusantibus, vel tacitè per lapsum duorum mensium, applicatur fisco. Et licet ille textus loquatur in personis positis in dignitate; tamen idem videtur esse in quolibet alio patre aliquid donante filio spurio, & incapaci: & ita tenet Azor. in summa illius tituli, in dict. leg. 1. Cod. de Natur. liber. 2. column. num. 6. & ibi Bart. Salic. & communiter alii DD. & idem disponit lex 10. tit. 13. part. 6. Advertendum tamen, quòd prædictæ personæ, quibus applicantur bona, quæ pater donavit filio spurio, & incapaci, admittuntur ordine successivo, quo defertur sibi hæreditas ab intestato: ita solus Salic. in leg. 1. Cod. de Natur. liber. in fine. Item adde, quòd si fortè pater decedat alio hærede relicto, ipse admittitur priusquam prædictæ personæ; ex eo quòd palam relicto à patre applicatur hæredibus, & non fisco, ut supra conclusum est: ita Bart. & Salic. in dict. leg. 1. Cod. de Natur. liber. Sed ego teneo contrarium, imò, quòd in isto casu, cum in vita sit facta donatio, non est tractandum de hærede: unde admittuntur prædictæ personæ infra duos menses; & si fortè pater infra illos decedat alio hærede relicto, similiter admitterentur illæ personæ tanquam specialiter per legem vocatæ; quia consideravit lex, quòd esset incertum de hærede futuro: & licet palam sit donatum, applicatur eis, & non fisco, nisi in defectum prædictarum personarum: & ita intelligo illam legem.

33 Dubium tamen est: Si talis donatio sit facta filio spurio, & incapaci, & alteri filio vel extraneo capaci; an portio spurii, & incapacis accrescat alteri socio capaci, vel applicetur personis de quibus supra? Et videtur quòd non accrescat, sed applicetur prædictis personis, argumento text. juncta Glossa, & communi opinione in leg. final. versic. Sancimus. Cod. de Bonis quæ liber. Sed videtur contrarium, imò, quòd accrescat conjunctis, argumento text. in Authent. Hoc amplius. Cod. de

Fideicommissis. Nec obstat text. & ibi communis opinio in dict. versic. Sancimus. Quia ibi pater censetur vocatus pro filio. Sed veritas est, quòd illa jura loquuntur in ultimis voluntatibus: unde in nostro casu dicendum est, quòd non habet locum jus accrescendi; quia in contractibus ex causa lucrativa, & merè dividua non habet locum jus accrescendi: ita probat text. in leg. Si mihi, & Titio. ff. de Verbor. obligation. & ibi communis opinio, & dixi in materia juris accrescendi.

34 Per contractum verò onerosum, ut emptionis, venditionis, vel similis, bene potest pater bona sua in filium spurium incapacem transferre: quia tunc capit jure suo ex proprio contractu; sicut quilibet extraneus: Item etiam, quia nihil videtur recipere de alieno, cum tantum abest, quantum adest, & sic nulla videtur commissa fraus legibus prohibitis. Et in expresso istam sententiam tenet Glossa ordinaria in leg. Qui testamentum ff. de Probation. in glos. 2. & tenent Bartol. Bald. Fulg. & communiter DD. in quantum reprobant Glossam ibi dicentem, quòd valet confessio patris dicentis, se recepisse pretium à filio: ergo si verè recepisset, valet contractus. Istam etiam conclusionem tenet expressè Bald. in leg. Si is qui ex bonis. ff. de Vulg. & Pupil. 2. column. prop. fin. & ibi Alex. 3. column. num. 7. tenet etiam Spec. in tit. de Success. ab intestat. versic. Quod si inter se vendere velint. num. 34.

Pro qua sententia primò facit expressus text. in leg. Qui testamentum. ff. de Probation. ubi dicitur, quòd si pater in testamento confessus est se debere aliquam pecuniæ quantitatem, vel rem filio incapaci, qui ultra certam partem capere non poterat; non valet talis confessio, quia præsumitur simulata: tamen si liquidò probetur debitum, causa per patrem confessata, optimè tenetur pater, & valuit contractus, & obligatio inter eos: Ergo idem dicamus in nostro casu, quando filius omnino, & penitus est incapax; quia contractus onerosus valet inter eos. Secundò facit textus notabilis in leg. Servum meum. ff. de Hæred. instit. ubi habetur, quòd potest quis vendere rem ei, qui non potest institui, nec capere ex testamento: notat Bald. & illum ad hoc citavit in dicta leg. Si is qui ex bonis. Tertio facit: quia licet inter virum, & uxorem non valeat contractus donationis, ut in leg. 1. & 2. & per totum, ff. de Donat. inter vir, & uxor. & ex ista causa semper contractus inter eos censeantur suspecti; tamen bene valet contractus onerosus verè sine fraude celebratus, ut in leg. Si sponsus. §. Circa venditionem. ff. de Donat. inter vir, & uxor. & in leg. Quod autem. §. Si maritus, eodem

In Legem IX. X. XI. & XII. Tauri.

dem tit. cum similib. & in leg. Si quis donationis. ff. de Contrah. empt. Quarto pro hoc facit lex 10. tit. 13. part. 6. quæ cum mysterio tantum prohibet donationem fieri à patre tali filio incapaci.

Contrariam tamen sententiam probat expressus text. in dict. leg. 1. Cod. de Natur. liber. imò, quòd nullo modo valeat talis contractus etiam onerosus inter patrem, & filium incapacem: quod probat ibi text. in versic. Sive itaque. cujus verba sunt: Sive itaque donatum est per ipsum, qui pater dicitur, vel per alium, sive per interpositam personam, sive ab eo emptum est, vel ab alio, sive ipsorum nomine comparatum; statim retractum reddatur quibus jussimus. & per illum textum ita tenent Bart. & DD.

Sed his non obstantibus, teneo de jure superiore sententiam, imò, quòd valeat talis contractus onerosus inter eos, per rationes adductas. Nec obstat textus capitalis, in quo se fundabant prædicti DD. Quia respondeo primò, quòd ille textus debet intelligi, quando talis emptio esset ficta, & simulata: ita ibi Bald. 1. column. in fin. Vel aliter, quòd ille textus loquitur in casu speciali, quando filius spurius est natus à patre constituto in dignitate: Ita reperio quòd intelligit illam legem Bart. in leg. Hæreditas. Cod. de His quibus ut indign. 2. column. in princip. ita etiam tenet Fulg. in dict. leg. Qui testamentum. ff. de Probat. & Jacob. de Sancto Georg. penultim. column. num. 10. Vel aliter clarè respondeo, quòd ille textus debet intelligi, quando ipse pater pro ipso filio, & nomine ejus emebat ab extraneo per se, vel per interpositam personam; & sic ibi pater non emebat à filio, nec ei vendebat, sed emebat ab extraneo in utilitatem filii, & in fraudem apertam legis: & ideo non valet. Et iste est verus intellectus illius textus: & certè istum intellectum ego cogitavi; sed postea reperi, quòd expressè sentit ibi Cyn. in 2. notabil. in quantum dicit ista verba 2. notabil. Quòd quando pater emit, & facit quòd instrumentum sit in persona filii spurii, præsumitur fictum.

35 Limita tamen istam conclusionem, quando pater realiter pretium recepisset: secus si tantum instrumento, vel coram testibus confessus sit pretium à filio incapaci recepisse; quia non valeret, tamquam confessio facta in fraude: ita probat textus valde notabilis in dict. leg. Qui testamentum. ff. de Probation. ubi, si pater confitetur in testamento, se debere filio incapaci, plusquam capere possit; non probat similis confessio, nisi verè & liquidè probetur: & hoc notant Odofred. Bart. Bald. Salycet. & communiter DD. & hoc, sive emat.

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

navit talis confessio in contractu, sive in ultima voluntate, secundum eos, quidquid dixerit Glossa. Idem etiam probat textus expressus in leg. Cum quis decedens. §. Titia ff. de Legat. 3. Secundò pro ista parte facit tale fundamentum: quia in quocumque actu, vel contractu, in quo potest esse præsumptio fraudis, non sufficit confessio partis, sed requiritur vera, corporalis traditio, numeratio, & probatio ejus: textus est singul. in leg. Per diversas. Cod. Mandat. in versic. Ita tamen. juncta Glossa ordinaria: probat etiam textus in leg. Ab Anastasio. §. Si quis. ibi: Re ipsa persolvit. eod. titul. quibus juribus patet, quòd creditor bene potest alteri cedere titulo oneroso actionem suam quam habet contra alium, sed non titulo lucrativo, propter evitandas fraudes quæ committi solent, sed tamen hoc casu debet constare de vera, & actuali numeratione pretii: & in terminis ita tenet Jacob. Butri. in dict. leg. Per diversas. in fin. Bartol. 2. column. Angel. 1. column. Salicet. 4. column. & communiter alii DD. tenet etiam Salicet. in leg. 2. Cod. Ne liceat potentiorib. 2. column. Jacob. de Bellap. in Authent. de Æqual. dot. in fin. collat. 7. & ibi Bart. & alii.

Et in tantum ista conclusio est vera, quòd confessio facta favore incapacis non valet, nec probat, nisi constet; ut procedat, etiamsi sit jurata: ita probat textus in leg. Cum quis. §. Titia. ff. de Legat. 3. & ibi Bartol. & alii DD. tenet etiam Jacob. de Sancto Georgio in leg. Qui testamentum. ff. de Probat. 2. column. num. 5. Confirmatur etiam: quia licet pater possit alienare bona sua titulo oneroso cum dolo, vel sine eo, in fraudem legitimi; tamen debet intelligi, quando verè constat de numeratione pretii, non aliàs: ita singulariter Platea in §. Item si quis in fraudem. Instit. de Action. quod reputat singular. Jason. in leg. 1. ff. de Eo per quem factum est. 2. column. idem Jason. in Authent. Unde si parens. Cod. de Inoffic. testament. Pro qua sententia facit text. in leg. 1. §. Si mutuam. ff. Si quid in fraudem patron. quem ad hoc notat Paul. de Castr. in leg. 1. Cod. de Inoffic. donation. final. column. & quæst. & tenet Jason. in addition. ad Cristoph. in §. Post mortem. Institut. de Inutil. stipulat. & facit doctrina Bartol. & communis in leg. 2. §. final. ff. Si cert. petat. ubi confessio procuratoris non nocet domino, nisi probetur: textus etiam in leg. Lucius. la 2. §. Quisquis. ff. de Legat. 2. Quòd extende, etiamsi pater jurasset: ita singular. Specul. in tit. de Confessis. §. Sed nunc videndum. versic. Sed numquid patris confessio. Segur. in Repet. leg. Cohæredi. §. Cum filia. de Vulg. & pupill. 12. fol. 3.

column. Alexand. *consil.* 143. *volum.* 5. *Segur.* in *Repetitionibus suis.* *Repet.* 1. *fol.* 6. *column.* 3. Neque obstat text. in *Authentic.* Quod obtinet. *Cod. de Probat.* & in *leg.* Cum quis decedens. §. *Codicillis.* ff. *de Legat.* 3. ubi confessio testatoris probat cum juramento: Quia debent intelligi in præjudicium extranei hæredis, non filii: pro quo facit text. in *dist. Authent.* Quod obtinet. in *fin.* qui dicit, quod non præjudicat creditoribus. Limita tamen, nisi concurrant aliqua alia indicia cum hac confessione, putà, unus testis, semiplena probatio, vel conjectura: Ita notanter Abbas post Anton. in *cap. Quamvis. de Re judic.* Tertio facit text. notabilis in *leg. unic. Cod. de Suffragio.* ibi: Sequaturque traditio corporalis. ubi probatur, quod quando contractus est suspectus, & reprobatus, semper requiritur actualis traditio rei, ut cesset præsumptio fraudis; quia alias præsumeretur simulata, & sic non sufficeret clausula constituti, nec alia traditio ficta: & per eum ita tenet Bald. 2. *column.* Salic. in 2. & commun. DD. Illum etiam textum ad hoc notat Bartol. in *leg. Post contractum.* ff. *de Donation.* *column.* 2. *num.* 4. notat etiam Imol. in *leg. Si is qui ex bonis. de Vulg. & pupill.* 2. *column.* *propè fin.*

Advertendum tamen, quod licet ista sit verior, & communis opinio de jure; tamen in nostro Regno apertè decisum est contrarium, imò, quod nullo modo valeat donatio, nec venditio, quam pater facit tali filio incapaci, & per consequens nec alius contractus lucrativus, nec onerosus: ita disponit *lex* 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *Ordinam.* & *lex* 22. *tit.* 2. *lib.* 1. *Ordinam.* & in expresso illas leges sic intelligit Segur. in *repet. leg.* 3. §. *final. de Liber. & posthum.* *fol.* 10. à *princip.* 1. *column.* (h) Imò, quod magis est, in hoc illa lex est mihi terribilis, quod non potest talis spurius, & incapax aliquod capere à consanguineis patris, nec matris titulo lucrativo, nec oneroso, nec per viam ultimæ voluntatis; & hoc nedum in bonis habitis à patre, sed nec in propriis, ut evitetur omnis fraus: unde restat, quod solùm capiet ab extraneis quovis titulo, vel ultima voluntate, etiam in bonis habitis à patre, ut suo loco conclusi; non verò à consanguineis. Ex quo etiam subtiliter inferitur, quod non ca-

piet virtute substitutionis pupillaris; cum talis filius impubes, cui est substitutus, sit proximus consanguineus patris.

36 Dubium tamen necessarium est, dato casu quod tales filii incapes nati ex damnabili coitu non possint succedere patri, nec matri ab intestato, nec ex testamento, an possint capere ab eis alimenta? In quo articulo breviter dico, quod de jure civili, sicut non erant capaces hæreditatis, vel successions parentum, ita nec alimentorum: textus est formalis in *Authentic.* Ex *complexu.* in *fin. verb. Cod. de Incest. nupt.* ibi: Ut nec alantur à patre. text. in *Authentic.* Licet. *Cod. de Natur. liber. in fin. verb. text. in Authentic.* Quibus modis *natur. eff. sui cap. ultim. collat.* 7. ibi: Nec alendus à parentibus. De jure tamen canonico, & ejus æquitate bene sunt capaces alimentorum, etiamsi sint nati ex quolibet damnabili, & reprobato coitu: (i) textus est *singul. & unicus in cap. Cum haberet. extra de Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. in final. verb.* ibi: Sollicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque liberis suis, secundum quod ei suppetunt facultates, necessaria subministr. Et ad hoc notat Innocent. & dicit eum unicum ibi Abb. 2. *column.* *ultim. notabil.* & post eum alii DD. Et ratio potest esse, quia ex quo sunt geniti, non sunt perdendi; sed eis tanquam pauperibus succurrendum: & sic ille textus hoc induxit ex quadam æquitate naturali: Et istam rationem ponit Abb. in *dist. cap. Cum haberet column.* 2. *num.* 5. Secunda ratio valdè subtilis sit, quod alimenta debentur filiis de jure naturali, ut in *leg. Si quis à liberis.* ff. *de Liber. agnoscend.* & in §. *Parens. ejusd. leg.* Quod tamen debet intelligi, non quod de illo jure sit aliqua obligatio compulsiva; sed vera declaratio sit, quod ex ipso instinctu naturæ, parentes inclinantur filios educare, imò etiam animalia bruta eo modo, & ingenio quo possunt. Sed hodiè reducta sunt alimenta in necessitatem, ut per legem teneantur parentes illa præstare: & ita debent intelligi jura civilia positiva, & iste est sensus Bartol. in *leg. Si quis à liberis.* §. *Parens. ff. de Liber. agnosc.* & in *leg. Non quemadmodum eodem. titul.* & in *leg. 1. ff. de Justitia.* & *Jur.* Alber. in *leg. 1. §. Jus naturale. eod. titul. column.* 2. *num.* 2. Bald. Paul. & aliorum Doctorum

(b) Vide quæ dict. sunt ad *num.* 13. in *princip.* ibi: Nullo modo succedit patri, &c. *suprà hac l.*
(i) Ita etiam tenet Aceved. in *leg. 7. tit.* 8. *lib.* 5. *Recopil. n.* 29. *Dueñ. regul.* 367. *ampliatione* 5. *Lar. in leg. Si quis à liberis.* §. *Idem rescripsit.* *num.* 7. ff. *de Liber. agnoscend.* & vide *Cujacium Consultatione* 2. rectè interpretantem textum *dist. cap. Cum haberet.* & *Paleot de Notb. spuriisque aliis num.* 4. *cap.* 46.

rum ibi. Alber. in *leg. Si non sortem.* §. *Liberus.* ff. *de Condition. indeb.* Angel. in §. 1. *Instit. de Jur. natur. gent. & civil.* Pro qua sententia considero expressam legem *Partit. in leg. 2. tit.* 19. *part.* 4. Confirmatur: quia sicut naturaliter pater, & quodlibet ens desiderat se conservare, secundum Philosophos; ita pater desiderat conservare filium, tamquam substantiam suam, cum ratione generationis sit pars patris: argumento text. in *leg. Liberosum.* ff. *de Verb. signif.* & in *leg. Isti quidem.* ff. *Quod metus causa.* Sed iste instinctus naturæ educandi liberos ita est in spuriis sicut in aliis: quia de primævo jure naturæ nulli fiebat differentia in procreatione liberorum, nec damnabatur, nec erat reprobus aliquis coitus, ut in *Authentic.* Quibus modis *natur. eff. legit. cap. 1. versic. Liceat.* *collat.* 6. & in *Authentic.* Quibus modis *natur. eff. sui.* *cap. 1. versic. Natura.* *collat.* 7. Unde etiam in istis filiis spuriis, & natis ex damnabili coitu jus canonicum, & ejus æquitas consideravit prædictum instinctum naturæ, & reduxit in necessitatem: & istam rationem ponit Hostiens. in *dist. cap. Cum haberet.* *fin. col. in fin.* & ibi Anton. de Butr. *column.* 2. *num.* 11.

37 Adde tamen, quod Bald. in *Authentic.* Ex *complexu.* *Cod. de Incest. nupt.* 1. *lectur. in princ.* tenebat, quod ille text. in *dist. cap. Cum haberet.* debet intelligi in filiis tantum spuriis simpliciter; non verò in incestuosis, nefariis, vel natis ex damnabili coitu, quia in eis nihil reperitur dispositum. Sed ista opinio est falsa, imò tenendum est, quod habeat locum in omnibus & quibuscumque filiis incestuosis, nefariis, & natis ex damnabili coitu: ita etiam expressè tenent Petr. de Bellaper. Cin. Alber. Fab. in *Brev. Bartol. & Salic. in dist. Authentic.* Ex *complexu.* *Cod. de Incest. nupt.* ubi dicunt, quod illa *Authentic.* non procedit, sed est correctæ de jure canonico per text. in *dist. cap. Cum haberet.* Sed textus in dicta *Authentic.* Ex *complexu.* loquitur in filiis incestuosis, nefariis, & natis ex damnabili coitu: ergo apertè volunt, quod dispositio textus in *dist. cap. Cum haberet.* habet etiam locum in eis: & ita tenet Imol. in *l. Ex facto.* §. *Si quis rogatus.* *el.* 1. *column.* 5. *propè fin.* Ad *Trebell.* Segur. in *repetitione leg. Cohæredi.* §. *Cum filia.* *de Vulgar. & pupil.* *fol.* 34. à *princ.* *column.* 1.

Item adde, quod videtur quod dispositio text. in *dist. cap. Cum haberet.* debet tantum procedere in terris Ecclesiæ, & non in terris Impe-

rii, vel alterius Regis; cum contrarium sit dispositum de jure civili, & non sit materia nutritiva peccati, nec concernat spiritualia, nec periculum animæ, juxta textum, in *cap. fin. de Præscription.* & in *cap. Novit. de Judic.* & in *capit. penultim. de Secund. nupt.* & in *capit. 1. de Novi oper. nunc. text.* junctâ *Glossa ordinaria.* in *cap. 2. de Regul. jur. lib.* 6. & in *cap. 2. de Arbitris.* in 6. Et in expresso, quod in nostro casu quælibet dispositio servetur in suo proprio foro, tenet Imol. in *leg. Lucius Titius.* §. *In testamento.* in *fin.* ff. *de legat.* 1. idem Imol. in *leg. Ex facto.* §. *Si quis rogatus.* *el.* 1. *column.* 5. in *fine.* ff. *Ad Trebell.* Felin. in *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ.* *de Constitution.* 36. *column.* *num.* 45. Segur. in *repet. leg. Cohæredi.* §. *Cum filia.* *de Vulgar. & pupil.* *fol.* 24. 1. *artic.* Sed ista opinio similiter est falsa, imò tenendum est, quod dispositio text. in *dist. cap. Cum haberet.* procedit, & debet servari tam in terris Imperii, quam Ecclesiæ: (k) & in expresso ita tenet Anton. 2. *column.* *num.* 11. Abb. 2. *column.* *num.* 5. etiam Angel. de Aret. in §. 1. *Instit. de Jur. nat. gent. & civil.* 2. *column.* *propè fin.* dicens, quod cum iste casus occurreret de facto, ita consulit ipse, & alii amplissimi Doctores: idem Angel. in §. *Novissime.* *Instit. ad Orphitian.* *column.* 1. in *fin.* Angel. de Gabel. in *tract. de Testament.* *fol.* 27. *column.* 4. *num.* 5. ubi dicit, quod ita judicatum fuit per judices Curie illustris Principis Marchionis Ferrariæ: Nicol. de Ubald. in *Tract. de Success.* *ab intest.* *column.* 13. *num.* 46. & apertè hoc voluit Pet. Cinus, Bart. & communis opinio in dicta *Authentic.* Ex *complexu.* *Cod. de Incest. nupt.* in quantum tenent, quod illa *Authentic.* est hodiè correctæ de jure Canonico per textum in *dist. cap. Cum haberet.* Abbas notabiliter in *Consil.* 115. in *princip.* & istam dicit magis communior opinionem Ripa, in *Rub. de Verbor. obligat. penultim. column.* *num.* 58. Advertendum tamen, quod *lex* 5. *titul.* 19. *partit.* 4. quæ non ignoravit jus canonicum, expressè determinat, quod pater non teneatur talem filium alere; & sic apertè vult, quod in nostro Regno servetur jus antiquum civile. Sed adhuc teneo prædictam communem opinionem, & sic quod in nostro Regno sit servanda decisio canonica; quia hoc casu debet prævalere.

38 Item adde, & extende dispositionem text. in *dist. capit. Cum haberet.* ut procedat nedum quando parentes sponte volunt alimenta præstare prædictis filiis; verum etiam quod de necessi-

(k) Idem probat Fortun. in *Tractatu de ultimo fine.* *num.* 109. & est recepta opinio secundum Covarrub. in *quart. 2. part. cap.* 8. §. 6. *num.* 6. *Dueñas in regul.* 367. *Lara in leg. Si quis à liberis.* §. *Idem rescripsit.* *num.* 17. ff. *de Liber. agnoscend.* Anton. Gomez. ad *Leg. Tauri.*

tate teneantur ea præstare: ita probat aperte ille textus in fine. Unde teneo, quod in vita parentes possint officio iudicis, vel efficaciam illius cap. compelli, si filii egeant, eis alimenta præstare. Similiter etiam post mortem parentum, si nihil eis reliquerunt, possunt hæredes compelli illa præstare: Primo, quia licet jus petendi alimenta ex parte recipientis sit merè personale, & non transitorium ad hæredes, ut in leg. Cum hi, §. Modus, ff. de Transactio. ibi: Constat enim alimenta cum vita finire, text. in leg. Hæreditatum, 68. Ad leg. Falcid. text. in leg. 3. ff. de Alim. & cib. legat. text. in leg. Dominus, versic. fm. de Usufruct. tamen ex parte parentum censetur perpetuum, & transitorium: ita probat textus notabilis in Authent. Licet, Codic. de Natur. liber. ibi: Sive legitimi extant, & succedunt, sive conjuge viva quilibet alii sunt hæredes, & expressè Bald. text. in leg. Si quis à liberis, §. Item rescriptum, ff. de Liber. agnoscend. ubi probatur, quod quando per legem quis tenetur alere, illa obligatio passiva descendit ad hæredes: & ibi notant Bartol. & communiter DD. & per illum textum istam conclusionem tenet Cin. in leg. Alimenta, Cod. de Neg. gest. fin. quæstion. Socin. in leg. Marcellus, §. Res quæ, ff. Ad Trebell. dicens, ita consultum fuisse per doctissimos viros: & idem tenet Abbas in Consiliis suis, consil. 115. Et idem est quando alimenta debentur ex dispositione hominis per contractum, vel ultimam voluntatem; quia similiter transit ad hæredes: textus est in leg. Libertis quos, §. 1. ff. de Aliment. & cib. legat. & ibi commendat Doctores antiqui: & per illum textum tenet Bartol. in leg. 4. §. Cato, ff. de Verbor. oblig. penultim. column. & quæst. numer. 32. & ibi communiter DD.

39 Item adde, quod talia alimenta de ju-

(l) Imò necessaria tantum ad sustinendam vitam, ut colligitur ex eodem capit. Cum haberet, non enim splendide, & secundum dignitatem paternam præstanda sunt, ut notant Anton. cons. 209. num. 8. Palac. Rub. in Repetit. dist. cap. 3. notabiliter §. 24. num. 3. Et ratio est: quia jus canonicum respexit ad præceptum naturale de alendis liberis, ut in cap. Jus naturale, 1. dist. & observat. Gloss. final. in dist. cap. Cum haberet, & ibi Anton. num. 11. Abb. num. 5. Et ratio naturalis tantum evincit necessaria ad sustinendam vitam esse præstanda; quia præceptum naturale de alendis liberis ad hoc tantum obligat, ut tradit Bald. in leg. final. §. Ipsum autem, de Bonis quæ liber. Covarrub. in quart. 2. part. cap. 8. §. 6. num. 8. facit text. in cap. Pasce, 86. dist. 1. Alaredus de Liberis agnoscend. Sed Covarrub. supra contendit alimenta attenda dignitate parentum esse præstanda: Nicol. de Ubal. de Successione ab intestat. 1. part. num. 47. Matheslanus eod. tract. memb. 3. art. 1. num. 28. ante quos Bald. consil. 258. in fin. volum. 1. Abb. consil. 125. cap. 1. volum. 2. atque ita hæc videtur magis communis opinio. Pro concordia dicendum censeo, in filiis naturalibus postremam opinionem procedere, priorem in spuris, ex ratione de qua supra. Quam differentiam in modo præstandi alimenta naturalibus, & spuris, agnoscit Bald. consil. 267. num. 6. volum. 1. de Vulgar. & in leg. 1. num. 35. Solutio matrimonii.

(m) Idem affirmat Tell. hic num. 14. Velazq. in leg. 46. Tauri, glos. 4. num. 4.

re communi debeantur secundum indigentiam, & qualitatem filiorum, & facultatem parentum, ut probat textus in capit. Cum haberet, ibi: Secundum quod ei superunt facultates. (l) Circa quod tamen est notabile dubium, an pater, vel hæredes teneantur alere ex fructibus, & redditibus rerum immobilium & patrimonii sui, vel teneantur ad hoc vendere proprietatem? Et teneo, quod solum ex redditibus; & non, teneantur vendere proprietatem: (m) ita probat textus singularis in leg. Qui bonis, ff. de Cessione bonor. ubi habetur, quod quando quis non potest conveniri ultra quam facere possit, inspicitur valor, & æstimatio fructuum sui patrimonii; non verò proprietatis, & ad hoc reputat singularem Bartol. & notant Albert. Angel. Cuman. & cæteri DD. illum etiam reputant singularem, & unicum Angel. Imol. Paul. & Alexand. in leg. Imperator. ff. ad Trebell. idem Angel. in leg. Divus, ff. de Petition. hæredit. Idem Angel. in leg. Si matris, ff. Solut. matrim. Imol. in leg. Apud Julianum, §. Hæredes, ff. de legat. 1. Jason. in leg. Fundum per fideicommissum, eod. tit. Philipp. Dec. in Authent. Præterea, Cod. Unde vir & uxor. final. column. notat etiam Faber. in §. fin. Instit. de Action. & tenet Bartol. licet non allegat illum text. in leg. Pen. ff. de Aliment. & cib. legat. Salyc. in leg. Si quis ad declinandum, Cod. de Episcop. & Cleric. Quod tamen limita, quando alimenta debentur titulo, vel causa lucrativa, vel ex legis dispositione: secus verò si titulo, & causa onerosa: ita Alexand. in leg. Maritum, ff. de Solut. matrim.

40 Hodie tamen propter evitanda dubia, quæ in hoc casu frequenter possent occurrere, decisum est, quod non possint, neque teneantur parentes in vita, vel morte præstare talibus filiis ultra quintam partem bonorum: ita disponit lex

lex 10. infra, His legibus Taur. quam legem ego intelligo de filio incapaci nato ex damnabili coitu, & in filio naturali, extantibus legitimis: eis verò non extantibus, bene possunt parentes eis præstare quicquid velint; & si nollent parentes dare, credo quod possint compelli ea præstare secundum qualitatem personarum, & patrimonii. Præterea dico, quod si pater, vel mater, vel iudex nolit dare, vel relinquere tali filio incapaci integrum quintum bonorum pro alimentis, eo casu quod sufficit minor quantitas; quod poterit facere: quia solum vult illa lex, quod ultra quintum non possit dare; bene tamen permittit minus dare. (n) Dubito tamen, si pater totum quintum bonorum tali filio relinquit pro alimentis, & attenda qualitate personæ, & patrimonii est sibi necesse; & insuper pater relinquit legata pia pro anima, & impensa funeris; an debeant extrahi de quinto, vel de corpore hæreditatis, ut postea ex residuo habeat filius quintum? Et teneo, quod si quintum sufficit pro omnibus, omnia ex eo extrahuntur; si verò non sufficit, debet de eo ante omnia extrahi impensa funeris: argumento leg. 10. juncta leg. 30. infra, His legibus Taur. Alia verò legata, etiam pia, credo quod non valeant, neque possint extrahi; quia jus alimentorum censetur debitum necessarium, non verò alia legata. (o)

41 Item adde, quod eo casu, quo parentes in vita, vel morte alimenta præstiterunt prædictis filiis, vel iudices in defectum eorum, & assignata sint aliquo certo fundo, vel re; post mortem filiorum prædictus fundus, vel res revertitur ad parentes, vel hæredes eorum, & non transmittitur ad hæredes filiorum; cum alimenta ipsa morte finiuntur, ut supra probavi. Et ex ista ratione istam conclusionem tenet Bald. in leg. Eam quam, 10. col. num. 41. Cod. de Fideicommiss. & tenet notab. Nicol. de Ubal. in Tract. de Success. ab intest. 13. col. num. 47. Palac. Rub. in sua repetition. fol. 98. column. 4. Abb. in dist. cons. 115. column. 2. (p) Pro qua sententia ultra eos facit, quia regulariter quicquid subrogatur loco alterius, assumit ejus naturalem, primordiam, & propriam naturam: textus est notabilis, in leg. Item veniunt, §. Cum prædiximus, ff. de Petition. hæredit. per quem etiam tenet Glossa unica, & communis opinio in leg. Certi conditio, in glos. 2. in fin. ff. Si cert. petat. facit bonus text. in leg. 1. §. Bellissime. ff. Ut legator. nomin. caveat, text. in leg. 2. vers. Parvi refert. ff. de Privileg. cred. Et expressè facit text. in dist. capit. Cum haberet, in fin. ubi dicitur, quod debent tali filio necessaria ministrari, sed ista necessitas cessat morte. Contrarium tamen hodie expressè disponit lex 10. in II. Taur. imò, quod tales filii possint ad suos hæredes istud, quod pro alimentis se-

(n) Vide Covarrub. Idem docentem in Epitome de Sponsalib. 2. part. cap. 8. §. 6. num. 8. fin. Perez in leg. 22. tit. 3. lib. 1. Ordinam. column. 165. & in leg. 1. tit. 1. lib. 5. pag. 131. in prime. Joanni. Garc. de Expensis, & Meliorationib. cap. 3. num. 7. & 28. Molin. de Primogeniis, lib. 2. cap. 14. numer. 52. cum sequent. Matienz. in leg. 1. tit. 8. lib. 5. Recop. glos. 1. num. 12. quicquid contrarium tenuerit Tell. in leg. 10. numer. 3. cujus fundamentis latè satisfacit Aceved. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopil. num. 11. alios hujus opinionis Authores allegans: & Velazq. de Avendañ. in leg. 10. glos. 2. num. 5. qui duas quæstiones resolvit per nostram leg. 10. Utrum pater possit ultra quintum, si quintum ad alimenta non sufficiat, aliquid filio spurio relinquere? & utrum possit ei quintum istud relinquere ad alimenta, si non egeat? In qua quæstione videtur posse etiam hoc casu patrem quintum ei relinquere: de quo eum vide, & supra allegatos, qui latè has quæstiones resolvunt: & eundem Velazq. in leg. 10. Taur. glos. 1. num. 2. qui simul cum Matienz. in leg. 8. tit. 8. lib. 4. glos. 7. num. 16. 17. & Tell. ubi supra, & Rox. de Successionib. ab intest. cap. 22. à num. 2. usque ad 7. testantur, ad alimenta non posse quintum tali in specie filio diviti relinqui, sed jure successionis; ut idem Tell. tenet in leg. 9. num. 34. & servando Covarr. consideravit Matienz. in dist. leg. 8. glos. 1. num. 18.

(o) Vide Matienz. in leg. 8. tit. 8. lib. 5. glos. 3. num. 3. & 6. & Aceved. in dist. leg. 8. num. 11. & in leg. 2. num. 16. & 17. tit. 1. lib. 2. & Tell. Fernand. hic num. 15.

(p) In dote verò data filia spuria, quæ alimentorum loco succedit, eandem sententiam, scilicet, quod ad hæredes non transmittantur, tenet Panorm. cons. 50. num. 7. & cons. 155. column. 2. Bald. Novell. de Dote, 6. part. privileg. 19. col. 2. Sed non procedit hæc opinio ubi pater expressit, quod illa dos post mortem filia spuria pertineat ad nepotes; tunc enim ad eos transibit, quoniam avus relinquere potest nepotibus legitimis, & naturalibus relictis, seu susceptis ex filio spurio, ut in leg. fin. Cod. de Natur. lib. & docet expressè Bart. in leg. fin. num. 5. de His quibus ut indigni. Alex. cons. 158. num. 4. vol. 7. & supra diximus num. 2. ibi: Adde tamen quod omnia ista procedant, & sunt vera, &c. Quod tamen est intelligendum, quando avus nullum haberet filium legitimum; eo enim extante, his nepotibus nihil dare potest, ut expressum est in dist. leg. fin. & tradit Decius cons. 462. num. 2.